

alium officio suo fungi queat. Omnes, ob claram dispositionem concilii Tridentini, sess. 25. *de Regular.* cap. xvii. ibi: « Liberati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens sacra synodus, statuit, atque decrevit, ut puella professionem non emitat, antequam exploraverit episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus vicarius, aut aliquis eorum sumplibus, ab eo deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit? an sciat, quid agat? etc. cujus professionis tempus ne episcopus ignoret, teneatur præfecta monasterii eum ante mensem certiorum reddere: quod si non fieret, quandiu episcopo videbitur, ab officio suspensa sit. » Hac de re etiam sequentia statuit Pius V. teste Barbosa, in concil. Trident. loc. cit. « Volumus etiam, quod puellarum Deo dicandarum, an scilicet coactæ, vel seductæ fuerint? examen faciendum non nisi infra quindecim dies, postquam juxta concilium Tridentinum episcopi, vel eorum vicarii requisiti fuerint, fieri possit, quibus elapsis amplius in hoc se intromittere illis non liceat: cujus occasione nec episcopus, nec ejus vicarius intra septa monasterii ingrediantur, sed stentante ferream crantem, et interrogationes alias, quam eas, quas concilium præfatum jubet, ab eis fieri omnino prohibemus: ac simul volumus, quod puellæ seu novitiæ ipsæ ad alias interrogationes minime teneantur. »

185. *Quod si tamen examen omittitur, professio nihilominus erit valida.* — Advertendum tamen ex Fagnano, quod licet graviter peccent superiores, absque dicto examine puellam ad professionem admittentes, tamen professio valida sit, prout contra plures decisiones Rotæ apud Pignatell. tom. IX, consult. 173, n. 129. declaravit sacra Congregatio apud Fagnanum. (ADNOTATIO IX.)

§ VII.

DE EFFECTIBUS PROFESSIONIS RELIGIOSÆ: ITEM DE PROFESSIONE INVALIDE FACTA; AC DE RECLAMATIONE CONTRA EAM: NECNON DE RATIFICATIONE EJUSDEM.

186. *Professio religiosa est vinculum indissolubile.* — Quæritur I. Quinam sint effectus, vel quænam prærogativa professionis religiosæ? Resp. Eos plures esse, atque præstantes, præcipue vero sequentes. I. Est

obligatio perpetua ad tria vota substantialia, et manendi in religione, ita ut nec mutuo religionis ac professi consensu tolli possit. Communis ac certa, arg. c. *Cum ad monasterium.* 6. *de Statu monach.* et can. *Quod Deo.* 4. cau. 33. q. 5. et patet ex usu, et traditione omnium religionum. An autem, et quomodo Papa dispensare in hoc puncto valeat? dictum est supra n. 11.

187. *Tollit omnes penas peccatorum, et affert indulgentias plenarias.* — II. Per professionem religiosam tolluntur quoad pœnam omnia peccata professi, si in statu gratiæ eam emittit: existenti tamen in peccato mortali primam gratiam non confert, nec tollit peccata quoad culpam, D. Thomas 2. 2. q. 189, a. 3. ad Tertium. Roderiquez, tom. II, q. 88, a. 4; Miranda, tom. I, q. 25, a. 8. asserens conclusionem esse certissimam, Sanchez, lib. V, *Moral.* cap. v, n. 2; Pelliz., tom. I, tract. III, cap. iv, n. 12; Layman, lib. IV, tract. V, cap. x, n. 1. cum communi aliorum, arg. can. *Quis aliquando.* 87. § *His auctoritatibus. de Pœnit.* dist. 4. ubi dicitur, quod ingredientibus Religionem nulla amplius pro commissis criminibus pœnitentia sit injungenda. Concordat novell. 5. ubi Justinianus imperator in princip. sic fatur: « Conversationis monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam detergat. » ubi Glossa, § *Maculam.* explicat, « id est, purgat a peccatis. » Ratio est, quia quando homo tantum præstat, ut plus præstare nequeat, tunc ex meritis Christi plene satisfacit Deo pro peccatis suis; atqui hoc facit, qui professionem emittit, hoc ipso, quod non tantum cuncta sua bona, sed et animam et corpus divino obsequio in perpetuum offerat, juxta dicta superius § I. Hinc sancti Patres ut sanctus Hieronymus, epistola 8. et 25; S. Bernard. lib. *de Præcepto, et dispensat.* ad finem, professionem communiter vocare solent *secundum Baptisma.* Notant insuper doctores, præsertim Sanchez, loc. cit.; Pelliz, loc. cit.; Layman, lib. IV, tract. V, cap. x, n. 1. Hanc, quæ per professionem acquiritur, remissionem peccatorum, nodo securiori, et perfectiori acquiri, quam per indulgentiam, esseque ab hac distinctam. Rationem dant: quia indulgentia est quædam concessio Papæ, causam emendandi, et alias conditiones requirens: at vero in professione aliud non requiritur, quam ut

subjectum sit capax; cum natura et præstantia ipsius operis per modum cujusdam justæ solutionis ex meritis Christi remissionem peccatorum obtineat. Imo addunt Layman, Pelliz. loc. cit. Sa. § *Religio.* et alii contra Sanchez, hanc plenariam omnium peccatorum remissionem obtineri, quoties religiosus renovat professionem suam etiam privatim: quod utique consolatorium est. Illud insuper certum est, quod emittentes professionem habeant indulgentias plenarias ex concessione summorum Pontificum, ut Pauli V. in constitutione *Romanus Pontifex.* quæ est 21. in Bull. Cherub.

188. *Extinguit omnia vota antea facta, etiam votum intrandi strictiorem religionem.* — III. Extinguit omnia vota simplicia prius emissa. Pelliz. loc. cit. q. 6. n. 19; Sanchez, loc. cit. n. 36. eoque teste omnes, textu claro c. *Scripturæ. de Voto:* ibi « Reus fratri voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum noscitur religionis observantiam commutare. » Amplia, etsi quis voverit aliam religionem etiam strictiorem intrare, textu expresso c. *Qui post.* 5. h. t. in 6. ubi etiam ratio habetur, ibi: « Post votum a se de certa religione intranda emissum, religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, et proficitur in ipsa, potest (voto non obstante, cui tanquam simplici per votum solemne noscitur derogatum) manere licite in eadem. Pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda. »

189. *Aufert irregularitatem ex natalibus, in ordine ad suscipiendos ordines.* — IV. Aufert irregularitatem ex natalibus provenientem, in ordine ad suscipiendos sacros Ordines, non item ad prælaturas, textus est in c. I. *de Filiis presbyter.* ibi « Ut filii presbyterorum, et cæteri in fornicatione nati ad sacros Ordines non promoveantur, nisi monachi fiant, etc. Prælationem autem nullatenus habeant. » Irregularitates tamen alias, ex aliis culpis, vel defectibus provenientes non tollit, ut cum communiore et probabiliore aliorum bene docet Sanchez, loc. cit. n. 9; Layman, loc. cit.; Roderiquez, tom. I, q. 13, a. 3; Pelliz. loc. cit. n. 33; Navarrus, et alii. Ratio est, quia de illa sola, et nulla alia, et quidem ad solum effectum suscipiendi Ordines sacros professioni hunc effectum tribuunt jura, consequenter ad alios cum jurium correctione non debemus extendere; arg. c. *Quæ a Jure. de Reg. Jur.* in 6.

190. *Dirimit sponsalia, et matrimonium ratum.* — V. Dirimit non tantum sponsalia, sed etiam matrimonium contractum, nondum consummatum: de quo infra lib. IV.

191. *Liberat a patria potestate, in odiosis.* — VI. Liberat professum a patria potestate, Sanchez, lib. V. *Moral.* cap. v. n. 29; Covarruvias, in c. *Quia nos. de Testam.* n. 5; Layman, lib. IV. tract. V, cap. x, n. 5; Pirhing, h. t. n. 41. cum Glossa communiter recepta, in l. *Si ex causa.* § *Papinianus.* § *cum statum mutet.* ff. *de Min.* Ratio est, quia a die professionis illico transit professus in potestatem superioris regularis, eique plene subicitur; consequenter a patria potestate eximitur, pura, in quantum hæc est odiosa professo, non item in quantum eidem est favorabilis, uti doctores citati cum aliis communiter notant; quia, « quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, » c. *Quod ob.* 61. *de Reg. Jur.* in 6. et hinc jura suitatis et successione retinet professus; et e contra, si post professionem filio bona obveniunt, ad peculium quasi castrense referuntur. Auth. *Presbyteros.* C. *de Episcop. et Cleric.*

192. *Inhabiles ad actus temporales, reddit habiles.* — VII. Tollit maculam quoad actus temporales, ita ut alias ratione perjurii, furti, etc. ineptus ad ferendum testimonium in judicio, testis in eodem, et ad similes alios actus idoneus fiat. Sanchez, loc. cit. n. 27; Layman, loc. cit. n. 4; Pelliz. tom. I. tract. III. cap. iv. n. 40; Abbas, in c. *Cum Deputati,* in fine, *de Judic.* et ibi Glossa communiter recepta, arg. novell. 5. in princip. ibi: « Monachalis vita sic et honesta, etc. ut omnem humanam maculam detergat. »

193. *Impedit exheredationem.* — VIII. Tollit filii ingratitude erga parentes, ita ut ab his exheredari nequeat, et exheredatio antea facta, ac testamento inserta non subsistat; dummodo professio ante mortem parentis emittatur, ut amplius diximus supra tit. XXVI. *de Testam.* n. 505, ubi vide.

194. *De reclamatione contra professionem nullam, decretum Tridentinum.* — Quæritur II. Quid juris in casu quo professio ex defectu alicujus ex dictis requisitis, vel ex alia causa sit invalida? an nempe? quando? et quomodo contra eam reclamare, eaque non obstante religionem deserere possit nulliter professus? Resp. I. Principaliter circa hoc attendendam esse dispositionem concilii Tridentini sess. 25. *de Regular.* cap. x.

ibi : « Quicumque regularis præterdat, se per vim, vel metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut, quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas, quas præterderit, deduxerit coram superiore suo, et ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tanquam apostata puniatur : interim vero nullo privilegio sui ordinis juvetur. » Huc usque concilium.

195. *Contra professionem ex quacunque causa nullam potest fieri reclamatio.* — Ex hoc decreto doctores communiter quædam inferunt certa, quædam dicunt et disputant controversa. Et certum est primo, quod revera detur jus reclamandi contra professionem nulliter factam. Omnes. Certum videtur secundo, hoc jus competere cuivis Religiosæ personæ, tam viris, quam monialibus, nulliter professis. Pelliz, tom. I. tract. III. cap. v. n. 34; Pirhing, h. t. n. 151. cum communi, arg. *ŷ. Quicumque*, cit. Trid. hic enim terminus tam masculos, quam foeminas comprehendit, l. I. ff. *Verb. Signif.* Certum et communiter concessum est tertio, posse fieri reclamationem contra professionem nullam, ex quacunque causa sit nulla, v. g. quia tantum fidei, vel vi aut injusto metu emissa, vel ante debitam ætatem naturalem, vel ante finitum annum probationis; vel sine licentia aut acceptatione legitimi superioris, etc. textu claro in cit. Trident. ubi postquam aliquæ causæ enarratæ fuere in specie, subjungitur, « vel quid simile, et quacunque de causa. »

196. *Conditiones ad reclamandum contra professionem requisitæ.* — Quarto communiter doctores deducunt tres conditiones ad legitimam reclamationem necessarias, quarum unam si negligit, non auditur, sed ad monasterium redire cogitur, vel nondum egressus ibidem manere compellitur.

Prima est, ut ante deductionem, et probationem irritæ professionis coram legitimo iudice faciendam, habitum non deponat, nec etiam absque licentia superioris cum habitu propria auctoritate discedat, textu claro num. 194. posito; nisi forsan justam causam eam, vel sine habitu fugiendi, ac discedendi

habet, v. g. quia alias ad superiorem vel ordinarium venire, et causam suam debite proponere nequit; ut si superior localis non audit, nec licentiam discedendi ad majorem superiorem præbet, sed potius ut suspectum violenter detinet, aut carceri intrudit, Sanchez, lib. VII. *de Matrim.* disp. 37, n. 3; Pelliz, tom. I. tract. III. cap. v. n. 40; Navarrus, comment. 4. *de Regular.* in fin.; Pirhing, h. t. n. 152; Roderiquez, tom. III. q. 17, a. 16; Miranda, tom. I. q. 30 a. 6; Azorius, Bonacina, et communis aliorum. Ratio est, quia concilium solum prohibere, ac punire intendit temerarium, ac præsumptuosum discessum, vel habitus dimissionem, non vero eam, quæ fit urgente, et justa causa.

197. Secunda conditio est, ut causam nullitatis professionis ante egressum coram superiore suo, et loci ordinario legitime deducatur, et probetur, patet ex textu, ibi : « Et tunc non aliter, nisi causas quas præterderit, deduxerit coram superiore suo, et ordinario. » Intelligitur autem hic per superiorem superior localis, seu conventus, aut monasterii, v. g. prior, guardianus, abbas, etc. et non supremi ordinis vel provincie, uti communiter tradunt doctores signanter Pelliz, loc. cit. n. 35; Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* p. 3. allegat. 104; Hyacinth. Donatus, tom. I. tract. XII. q. 19; Pirhing, h. t. n. 151. estque sæpe decisum a rota, nisi aliud habeant religionum statuta et consuetudines, ut post Bordon. *tr. de Profes. c. 7* n. 29. bene observat Pelliz, loc. cit. indeque infert, in societate eorum, hujusmodi causam deduci debere coram provinciali, idque ob specialem gubernationis modum in societate vigentem. Idem sane in provincia nostra observandum, ubi guardianus hujusmodi causam juridice tractare non posset, sed ad provincialem remittere deberet. Per ordinarium autem juxta omnes, intelligitur episcopus diocesis illius, in qua existit conventus, seu monasterium nulliter professi, prout teste Barbosa, loc. cit. et Hyacinth. Donato, loc. cit. sæpius declaravit sacra Congregatio.

198. Porro debet deductio causæ fieri coram superiore religionis et ordinario conjunctim, seu copulativa, ita doctores citati, *Ricc. in Praxi aurea*, resolut. 20; Tamb. tom. III. disp. 6, q. 26, n. 3, inde bene inferentes, quod si ordinis superior privative in causa procedens, professionem declaret nullam, et propterea religiosum dimittat,

vel ejiciat, eum iterum revocare, et ad ordinem recipere teneatur. Ratio est, quia forma procedendi a Tridentino præscripta requiritur, ut « conjunctim » procedatur, per particulam « et ordinario, » quæ particula regulariter est copulativa, seu conjunctiva, arg. l. *Si quis ita stipulatus*. 129. ff. *de Verb. obligat.* cum concordantiis.

199. Porro ad probandam causam invalidæ professionis non sufficit nuda insertio etiam juramento firmata, ut bene advertit Sanchez, lib. VII. *de Matrim.* disp. 37. n. 14; Cajet. 2. 2. q. 88. a. 1; Hyacinth. Donatus, et communis aliorum. Ratio est, quia contra eum etiam jurantem stat præsumptio juris, et de jure, *concl. Trident.* loc. cit. adversus quam in foro externo nulli creditur.

200. *Debet fieri intra quinquennium.* — Tertia conditio est, ut causæ nullitatis intra quinquennium a die professionis proponantur, textu claro concilii Tridentini loc. cit. ibi : « Non audiatur, nisi intra quinquennium tamen a die professionis, etc. causas deduxerit, » etc. Verum quia circa hanc conditionem gravis est inter doctores controversia. Hinc

201. *Putant aliqui fieri posse etiam post quinquennium.* — Queritur III. Specialiter, an non dentur casus, in quibus etiam post quinquennium contra nullitatem professionis legitime reclamare possit, et audiendus sit nulliter professus? præcipue an non in casu, quo ignoravit nullitatem professionis, aut alias impeditus fuit ad reclamandum intra quinquennium? Affirmative respondent plures, ut doctissimus Navarrus, lib. III. *Consil.* consil. 23, n. 3, h. t.; Roderiquez, tom. III. q. 17, a. 16; Suarez, tom. III, lib. VII, cap. iv, n. 6; Lezana et plures alii citati a Barbosa in *concl. Trident.* loc. cit. n. 8. et Hyacinth. Donatus, tom. II. tract. XII. q. 13. tum quia impedito non currit tempus, arg. c. *Imputari. de Reg. jur.* in 6. et l. 1. in fin. c. *de Annali except.* Inter impedimenta autem specialiter numeratur ignorantia, ignorans enim experiendi non habet potestatem, l. *Annus.* ff. *de Calumniator.* tum quia alias nulliter professus privaretur jure suo sine sua culpa et causa, quod iniquum videtur, arg. cit. c. *Imputari. de Reg. jur.* in 6. præsertim si ignoravit, professionem suam esse irritam; eo quod nec negligentia nec culpa imputari queat ignorantis, l. *Arguendum.* ff. *Commodati.* quo non obstante.

v.

202. *Fit conclusio contraria.* — Resp. II. Via ordinaria post quinquennium in foro externo non amplius auditur reclamans contra professionem, nisi alleget, et probare paratus sit, quod intra quinquennium ignoraverit nullitatem professionis suæ, vel alias absque culpa sua a reclamando impeditus fuerit. Sanchez, *de Matrim.* lib. VII, disp. 37, n. 18; Hyacinth. Donatus, loc. cit. n. 4; Pelliz, tom. I, tract. III, cap. v, n. 45; Pignatell. tom. III, consult. 37, ac plures alii. Probatur ex ipso textu Trident. ubi expresse habetur, quod « quinquennium currat a die professionis tantum, » ubi ponderanda particula *tantum*, quæ est exclusiva, affirmans id, quod ponit, et negans omnes alios casus, præter expressos, l. *Ob æs. c. de Prædiis et aliis rebus minor.* et l. *Contractus.* ff. *de Reg. jur.* cum concordantiis. Dein etiam considerandum, quod dixerit concilium, « a die professionis, » et non a die notitiæ vel cessantis impedimenti currere quinquennium ad reclamandum, concessum. Accedit, quod alias non obviaretur litibus, nec religiones gauderent tranquillitate, quod tamen fuit præcipua intentio ac mens concilii Tridentini, Hyacinth. Donatus, et Sanchez, loc. cit. Confirmatur, vel potius principaliter probatur ex repetitis declarationibus cardinalium apud Fagnanum. Similem etiam refert Hyacinth. Donatus, loc. cit. n. 8. Pignatell. loc. cit. quam etiam confirmavit Gregorius XIII. prout idem refert Pignatell. illis verbis : « Felicis recordationis Gregorius XII, ex sententia Congregationis concilii declaravit eos, qui per vim ac metum se ad religionem professos præterderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso non esse audiendos, tametsi allegent vim, et metum semper durasse. »

203. *Tempus quando currat ignorantis.* — Nec obstant fundamenta in contrarium; quia licet si tempus præfixum est in negligentis odium, non currat ignorantis, aut alias impedito « per jura allegata; » currit tamen eidem, quando non in odium negligentis, sed in alterius favorem præfigitur, uti bene docet Glossa in c. *Statutum.* *ŷ. Numerandum. de Præbend.* in 6. Covarruvias, in c. 3. *de Testam.* n. 4. Gutierrez, lib. II. *Practic. quest.* q. 91, n. 4; Abbas, in c. *Quia diversitatem. de Concess. præb.* n. 8. et communis aliorum, Sanchez, loc. cit. rem amplius probans; atqui quinquennium ad reclamandum a concilio Tridentino non fuit determinatum

in odium negligentis reclamare, sed ob bonum commune, et in favorem religionis, ne discolorum litibus et motibus continuo vexetur aut turbetur. Nec refert, quod ignorans, vel alias impediti priventur suo jure sine culpa: tum qui saltem non privantur sine causa, quae est bonum commune et communis tranquillitas religionum; ob quod bonum commune etiam in materia praescriptionis quis sine causa privatur jure suo: quamvis enim de jure nemo puniatur sine culpa, et causa, tamen punitur sine culpa, cum causa; tum quia adhuc habet beneficium restitutionis in integram, ac libertatem discedendi saltem in foro interno.

204. *Post quinquennium auditur quis per viam restitutionis in integram. Et quomodo?* — Resp. III. Non obstante conclusione praecedenti, post elapsam quinquennium gaudet adhuc beneficio restitutionis in integram, ad hoc ut audiri debeat is, qui intra quinquennium vel nullitatem professionis suae ignoravit, vel alias a reclamando impeditus fuit. Sanchez, loc. cit. n. 22; Hyacinth. Donatus, loc. cit. q. 14; Barbosa, loc. cit. n. 9. ac plures alii ab Hyacinth. citati: quod ipsum docuimus, et probavimus in lib. I, tit. XLI, *De in integram restitut.* n. 89. ubi etiam n. 91. addidimus, nulliter professum, non nisi a Papa restitui posse ad hoc, ut post lapsum quinquennii adhuc audiatur, consequenter nulliter professum sacram Congregationem cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum, vel aliam negotiis regularium praepositam adire debere. Id ipsum quod Hyacinth. Donatus quoque loc. cit. n. 14. docet, simulque cum aliis advertit, hoc beneficium impetratu difficile esse nec concedi solere, nisi orator causas nullitatis professionis una cum causa, ob quam intra quinquennium non potuit reclamare, in libello supplicii prius explicet, ac de eis prius saltem summarie cognoscatur. Idem quod clausulae in rescripto obtento exacte observentur, etc. ut proin post quinquennium contra professionem reclamare etiam per viam extraordinariam difficillimum, nec facile suadendum sit. (ADNOTATIO X.)

205. *Qui certo scit, se nulliter professum esse, et probare non potest, nec exauditur, non tenetur professionem ratificare, in occulto discedere et dimitti potest.* — Queritur IV. Quid faciendum nulliter professo, qui coram Deo, et in conscientia saltem certo scit, quod ejus professio sit nulla, eo quod v. g. tantum

ficte, ac sine animo sese obligandi eam emisit, vel gravi metu injuste incusso professus sit, vel aliud essenziale requisitum v. g. aetatem legitimam non habuerit, etc. et tamen in foro externo id probare non potest: vel ultra quinquennium nullitatem ignorans, primum post lapsum quinquennii illam cognoscit: aut ea prius cognita, usque ad lapsum quinquennii impedimentum reclamandi patitur? Resp. I. Si talis religionem salutis suae proficuum aestimat, in eaque manere vult, res difficultate caret: solum enim opus est, ut professionem ratificet, modo infra a n. 213, dicendo.

206. Resp. II. Si nulliter professus cognoscit, religionem sibi minus convenientem, aut nimis difficilem, vel ex alia ratione manere non vult, nec hactenus professionem suam ratificavit, non tenetur ratificare professionem, nec manere in religione, sed potest tuta conscientia in occulto discedere, ac etiam nubere, dummodo sine gravi scandalo, aut alio majori incommodo, ac praerudicio abire possit. Sanchez, lib. VII, *de Matrim.* disp. 37, n. 11; Layman, lib. IV, tract. V, cap. v, n. 7; Navarrus, lib. III, *Consil.* consil. 89, *de Regular.*; Pirhing, h. t. n. 148; Hyacinth. Donatus, tom. II, tract. XII, q. 21, et communis aliorum. Ratio est, quia professio religiosa est arduum opus consilii, ad quod nemo tenetur, neque cogi potest invitus. Nec obstat, quod Ecclesia tamen cogat manere in religione, arg. *concil. Trident.* sess. 25, *de Regular.* cap. XIX. Nam contra est, quod id non faciat, ut ad professionem adigat, vel eam validet, aut validam a parte rei declaret, sed quia praesumit, talem vel ab initio valide fuisse professum, vel saltem professionem ratificasse, quae praesumptio in conscientiae foro cedit veritati, ut bene notant citati doctores.

207. *Nude asserenti etiam juranti non creditur nisi circumstantiae fides mereantur.* — Addit Sanchez, loc. cit. n. 13; Layman, loc. cit. et alii, etiam superiorem, si certo credit, subditi professionem invalide fuisse emissam, et postea non ratificatam, posse cessante scandalo occulte dimittere talem, non obstante decreto Trident. utpote, quod pro foro externo ex titulo praesumptionis latum, non ligat in foro interno, quando veritatem praesumptioni contrariam esse, constat. Nude tamen asserenti, quod ficte tantum professus sit, nec pro foro interno adhiberi debet fides: nisi attentis circumstantiis

prudenter quisque conjiceret, talem vera loqui; quia non est major ratio, cur tali potius tunc sit credendum, quam antea, dum professionem simulavit. Sanchez, loc. cit. n. 14; Cajet. 2. 2. q. 88. a. 1. ac plures alii a Sanchez citati. Caeterum notanter dicitur in conclusione, « si absque scandalo. » Nam:

208. *Nulliter professo, si absque scandalo discedere nequit, quid faciendum?* — Resp. III. Si nulliter professus absque scandalo, aut alio majori incommodo, vel gravi praerudicio religionis occulte discedere nequit, neque in foro externo auditur, vel si auditus probare nullitatem professionis non potest, expedit, ut a praelato, vel confessario aut alio disponantur ad ratificandam professionem. Layman, loc. cit. quod si ratificare nolit, periculo scandali durante discedere non potest, sed debet manere, ac expectare, donec commoda occasio sine scandalo occulte fugiendi se offerat. Sanchez, loc. cit. n. 38. et seqq.; Pelliz. tom. I, tract. III, cap. I, n. 48, et cap. III, n. 56, cum communi. Primam partem, quod disponi debeat ad ratificandam professionem, suadet prudentia; nisi forsitan professus experientia compertum haberet, religionem animae suae nocivam fore ob graves tentationes, v. g. quas teste experientia superare nequit; tunc enim non ad professionem ratificandam, sed ad religionem, quamprimum absque scandalo, et religionis gravi praerudicio potest, deserendam, et ad nubendum disponi, eique id faciendi obligatio inculcari debet ex eo fundamento, quo theologi communiter docent, eum, qui carnis tentationibus jugiter succumbit, ad nubendum teneri. Altera vero pars, quod videlicet ratificare, non teneatur, si nolit, ratio jam supra allegata est; quia videlicet professio religiosa est summe arduum consilii opus, ad quod nemo tenetur, hoc ipso, quod sit consilii, et non praercepti.

209. Quod autem durante manifesto scandalo, aut gravi praerudicii periculo discedere nequeat, sed opportunam occasionem sine scandalo discedendi expectare debeat, rursus patet ex illis fundamentis theologicis, quibus probatur, illum vel contra justitiam, vel contra charitatem graviter delinquere, qui grave praerudicium infert tertio, aut scandalum grave praebet; quia juxta verba sancti Evangelii: *Vae homini illi, per quem scandalum venit.* Ob eandem rationem, sci-

licet, ut scandalum evitet, debet tunc in religione commodam expectans discedendi occasionem manere, in publico servare vota, et ordinis regulam; quamvis absente scandali periculo ad ea in conscientia nullatenus teneatur; cum professione existente irrita, nullo titulo ad ea obligatus sit, ut bene docet Sanchez, loc. cit. cum communi aliorum.

210. *Potest interea percipere alimenta, et ferre suffragia; quomodo? Error communis praebet titulum praesumptum.* — Porro donec occasio sine scandalo discedendi se offerat, potest quidem interea a religione licite percipere alimenta, et alia sustentationis media; debet tamen in horum compensationem consueta religioni praestare servitia, quibus si media pro se immensa non compensari cognoscit; insuper habere debet animum, suo tempore proportionatam faciendi restitutionem, prout, ex titulo justitiae bene docet Pelliz. tom. I, tract. III, cap. v, n. 40; Sanchez, *de Matrim.* lib. VII, disp. 37, n. 388, et alii. Pariter potest interea temporis ferre suffragia, et alia peragere jurisdictionis munera religiosa, si absque scandalo, et gravi sui infamia ab eis abstinere nequit, suntque cuncta ab eo acta valida, Sanchez, loc. cit. eo quod error communis adsit, qui praebet titulum praescriptum, arg. I. *Barbarius.* ff. *de Offic. praetor.* quamvis cessante scandalo et infamia, talibus actibus pro possibili abstinere debeat.

211. *Nulliter professus, si professionem ratificare non vult, tenetur discedere, quamprimum sine scandalo potest.* — Caeterum quamprimum occasio sine scandalo discedendi, aut via ordinaria, vel extraordinaria, per restitutionem nempe in integram commode reclamandi, ac nullitatis causam probandi se offert, tenetur illico vel reclamare, si potest, vel occulte discedere, sive intra, sive post quinquennium occasio hujusmodi se offerat, si professionem ratificare non vult. Pelliz. tom. III, tract. III, cap. v, n. 47, et alii. Ratio manifesta est, quia non potest frui commodis religionis, ejusque sustentatione gaudere, nisi velit esse religiosus, aut in eo statu sit, quo hic et nunc sine scandalo discedere nequeat, juxta num. praeced.

212. *Quid faciendum dubitanti an valide professus sit?* — Queritur V. Quid juris, si nulliter professus dubitet, an non tacite, vel expresse ratificaverit professionem, postquam jam scivit eam esse nullam. Resp. Si dubitat ante quinquennium, potest adhuc